



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Bugenhagenii Pomerani Annotationes ab ipso iam
emissæ. In Deuteronomium**

Bugenhagen, Johannes

Basileae

VD16 B 9247

Capvt V.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36133

uidit unq̄. Nam tametsi & de Moysse dicit deus, Nu. 12:
Palam & non per enigmata & figuras deū uidet, ta-
men idem Moyses cupit uidere gloriam dei & faciem
eius & audit. Non uidebit me homo & uiuet &c. Ex-
odi. 33.

Ego sequester.

Vide hic quem mediatorē intelligas in Gala. Data est
lex per angelos in manu mediatoris. In quo con dem-
natur omnis ille populus reus damnationis, quia indi-
gebat mediatore, id quod tunc agnoscitur quando ap-
paret terror legis. Verum ille mediator quid aliud at-
tulit q̄ legē, alius ergo expectabatur qui adferret gra-
tiam. 10. 1. Lex per Moysen &c. cuius figuram Moyses
gerebat, quādo seposito legislatoris officio pro popu-
lo intercedere solebat.

Ego dominus. Primū p̄ ceptum uult agnosci
unum deum, illi credere, fidere, & illum timere.

Ego, inquit, non alius, dominus gubernator, deus crea-
tor, tuus, qui ut te creau, ita & ego guberno, non tu-
tua prudentia, tuis uiribus, tua iustitia &c. ego tibi be-
nefacio, ego redimo à malis, à peccatis, à damnatione,
In manu mea sunt omnia qui condidi omnia, & tuus
sum quantiusquantus sum & quantumquantū possum.
Quis hic non prouocatur ad fidem? sed beatus qui in-
telligit. Vides itaq; fidem esse primā & fundamentū
omnium cogitationū, uerborum, factorū bonorum, ex
hoc fonte nos mundari, Hic omnia mūda esse mundis,

Et quicquid nō est ex fide peccatum esse, ubi enim nō est hoc primū præceptum, illic nullū est, in hoc omnia ut in capite comprehenduntur.

Non habebis deos alienos] id est, non habeto aliquid præter me in quo confidas. Dum habes uxorem, esto tanq̄ non habens, dum uteris mundo, esto tanq̄ nō utens &c. 1. Cor. 7. Vnde addit, in conspectu meo, ut noris primū prohibitam cordis idololatriam, de qua diximus, quā ipse per sese uindicat, quia corda nō permittit iudicare hominibus, externam autē quæ signum est internæ hominibus commisit iudicandam per legem, ut occidatur qui suadere nititur ut recedamus à deo, & qui idolum sibi erexerit.

Ego enim.] Et iudicem & patrem se proponit, illū contēptoribus, hūc diligentibus, sed nō diliges nisi credas, quod hoc præcepto exigitur, non credes nisi deus dederit, dabit autē si poteris inuocare. Vides itaq; hic legem esse & euangeliū. Legem odientibus, hoc enim efficit lex nisi euāgelio reuoceris, uelles enim non esse talem deum qui sic obsistit tuis cupiditatibus. Hic uide quā probe interpretatus sit hanc legē Ezechiel. Filius non portabit &c. cum & hic additū sit. ijs qui oderūt me &c. & diligentibus me &c.

Secundum præceptum.

Non usurpabis.] utiliter usurpatur nomen domini in iuramentis necessarijs, in confirmatis

one uerbi dei, in foederibus cum fratribus, in inuocatione quando tentaris quando beneficiū à deo postulas, dum ueritatē dei libere prædicas & corā mundo profiteris &c. quia hic honorem, ueritatem & iustitiam nomini dei tribuis. Primo præcepto corde creditur ad iustitiam. Hoc ore fit confessio ad salutē, Nam hoc præceptum dum uetat frustra usurpari nomen domini, iubet recte & sancte usurpari, id qd' postulamus in oratione dominica, Sanctificetur nomen tuum.

Quia non erit. Heb. quia non innocentem habebit dominus qui nomē eius frustra assumpserit. Qui enim se uenerari uult etiam suum nomen nō uult polui. Nos omnes contra facimus, dum gloriam querimus non in deo &c. sed tamen quidā crassius externo ioco, quidam etiā contemptu rei sacræ & Euangelij, q̄ut ferre deberemus. Externa sunt à nobis coercēda, ut uel sic discamus interna agnoscere &c. Summa huius præcepti est, ut inuoces nomē domini, in omni tentatione & necessitate, ut inuoces quem primo præcepto cognouisti &c.

Tertium præceptum.

Obserua diem sabbati, ut sanctifices eum. Sanctificare in scripturis, est segregare & separare domino. Septimū ergo diem sanctificare, est tunc, cessantibus carnis operibus & externis, spiritu adorare dominū & audire uocē dei & meditari in lege eius, quod sab

batum credentibus iuge est, sicut psal. 1. dicitur, In lege eius meditabitur &c. Vide Esa. 58. Heb. 4. Hoc est sabbatum Christi quiescentis in sepulchro, imò hoc est sabbatū dei quiescentis ab omni opere quod patrarat, qui quiescere scribitur dum nos qui in eum credimus quiescimus, mortificata carne cessantes ab oībus operibus rationis nostræ & liberi arbitrij, ut in nobis operetur spiritus dei. Opus autē eius est, ut mortificet carnem & uiuifcet spiritū. Vnde uides tūc maxime operari deū occulto opere quādo ab externis cessat. In circo Christus dicit, Pater meus usq; modo operatur & ego operor, qui & indicat in Euangelio, ne sacerdotes quidem potuisse aut debuisse obseruare sabbatum in ipso etiam templo ni maluissent agere contra mandatum pro madato, item, ne alios quidem, qui in sabbato quoq; cogebantur circumcidere hominem, ne facerent contra aliam legem. Hic tam religiose mandatum sabbatum cogebatur tamen cedere alijs legibus, ut uel ipsa lex ostenderet aliud sabbatum, scilicet, quo à nostra cessamus, ut faciamus dei uolūtam. Præterea necessitas & charitas dispensant in omnibus externis, ut uides in discipulis uellicantibus spicas. Et in nostra potestate est nunc externū sabbatum, non ligat nos nunc lege, quia dominus est filius hominis etiam sabbati. Sabbatum uero internum requirūt à nobis duo prima præcepta quæ ipsum exponit, qd

uiolat prouidētia tua de uita tua, utcunq; in speciem
 bona & electio operum nostrorū quæ nobis eligimus
 & præscribimus. Id quod non est spiritu dei agi sed
 proprio. Veram tui resignationem hoc præceptū exi-
 git, sed à domino necesse est ut postules, dicens, Adu-
 niat regnum tuum. Fiat &c. Aduerte sabbatum exter-
 num fuisse sacramentū, quo agnoscerētur prima duo
 præcepta siue ipse deus. Deinde & nobis & proximo
 seruaretur. De primo dicit lex, q; sabbatum debet san-
 ctificari domino, quod sic exponit Ezech. ca. 20. Insu-
 per & sabbata mea dedi eis, ut esset signū inter me &
 eos, & sciant q; ego dominus sanctificās eos. Vbi Eze-
 chiel obiter interpretatur, q; dum iubemur sanctifica-
 re domino sabbatum, nihil aliud sit q; sinere, ut domi-
 nus nos sanctificet, non ipsi nos, id quod est uerū sab-
 batum. Fuit autē sabbatum duplex sacramentū, crea-
 tionis, Gen. 2. & redemptionis ex Agypto, ut hic dici-
 tur. De secundo hic dicit, Vt requiescat seruus &c.
 Itcirco præcepit &c. Vides itaq; deum in præceptis
 suis, non sua sed nostra quærere intus & extra, qui se-
 ptimū diem requiei nobis dedit, sicut & somnū, ne no-
 stra cupiditate perdamus & nos & creaturas dei, qui
 nouit quid quæq; possint postq; hanc crucem imposuit
 ut uiuamus in sudore uultus nostri &c.
 Honora patrem &c. Incipit secunda tabula p
 proximo nostro. Sed diligenter in omnibus scito legē

esse spiritualem, sicut Christus interpretatur Matth. 5.
ne fingas tibi ex ipsa dei ueritate hypocrisim quandā
& fucum & mēdaciū. Vide de bonis operibus libellū.

Nihil addēs amplius.] Ergo hæc lex ad omnes ho-
mines pertinet, quæ uero reliquæ sunt obseruationes
& ceremoniæ legis & tēporibus & locis alligatæ cū
temporibus & locis perierūt. Neq; enim hodie Iudæi
sua illa habent principalia festa, aut sacrificia legis &
holocausta, quæ iussit dominus tantū agi in loco quē
elegisset & c. Vide orationē Danielis, ca. 9.

Maiestatem.] Hoc est quod Paulus dicit. 1. Corint. 1.
Qd' mundus in sapientia dei nō potuit deum cogno-
scere, saluos fecit ergo credentes per stulticiam prædi-
cationis & c. Prædicatio maiestatis dei & sanctorum
sanctitatis me terret, allicit autem maieestas in carnem
deiecta & sanctorum infirmitas & c.

Probauimus hodie, id est, miramur q; ad-
huc uiuimus postq; audiimus uocem domini nobis in-
tolerabilem. Vide qui per naturam nos simus. Omnes
uidemur per hypocrisim nobis diligere uerbū dei, sed
ubi uere uenerit ad cor nostrum & damnarit omnia
nostra, tunc nulla hypocrisi id quod res est sentimus.
Vnde ait dominus, Bene omnia locuti sunt, id est, sic
habet res, nihil mentiuntur & c. sed tamen errant qui
promittunt, terrore coacti, sese omnia facturos, id qd'
non poterunt nisi eis detur alia mens, id est, spiritus

IN DEUTERONOMII

sanctus, quo docti & adiuti timebunt me uere, ut filij patrem, & obseruabunt omnia quae praecepto eis.

Quis det &c.] Utinam haberent tale cor, ut me timerent & custodirent &c.

Tu uero &c. Ecce mediatorem Moysen, ut supra.

Non declinabitis] scilicet ab eo quod praecepit uobis deus &c. Hoc est qd' supra dixit. Non addetis &c. Verbum dei non uult sophisticas interpretationes.

CAPVT VI.

ps 8

A Vdi Israel, id est crede, sicut psal. Israel si me audieris &c. Rursum per totum caput admonet primi praecepti & ipsum exponit, scilicet non esse externum facium cultus dei quo praecepto satisfiat, sed esse adorationem in spiritu, id est, ut metuas, diligas, fidas, in summa, ut credas. Vides itaq; legem esse spiritualem, quae omnia carnalia damnet. Diliges, inquit, ex toto corde, id est affectu & cogitatione, ex tota anima, id est uita, ut nunq̄ cesses diligere per omnem uitam, ex tota fortitudine tua, id est, ex oibus uiribus tuis quae quid potes. Certe hic inuenies in te (nisi hypocrisi excaceris) diuersum cor, sicut uides ca. superiore, diuersam uitam tuam, diuersas & contralucentes uires tuas, quid ergo hic legis nisi damnationem tuam, dum non solum nō facis quod lex dei iubet sed etiā contra facis